



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Lvdgardis Virg. 16. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Securi subdidit: sed quantumcumq; properaret, filius cęlũ subeanti jam coronatus occurrit. *Ex Surr.*

Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota, quoque mentis servitus immaculata quoridianum Martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis. S. Hieron. in Epitaph. Paulz.

S. LVDGARDIS VIRG. 16. Junij.

Nulla pulchrior virginitate est virtus, quę DEVM etiam hominis facit rivalem. Ambicrant LVDGARDIS thalamum complures, nec ignobiles terrę filij, & ex his familiarius uni fortę loquebatur, cum ei sanctior sponſus CHRISTVS pectus suum, & in pectore cor saucium ostendit, & extra non nihil deinceps iussit querere. Inde videlicet humana omnia usque adeo illi jam vilescere, ut præter crucifixi nullos amores sciret, præsertim ubi ab ejusdem vulneris nectare ebrია, tota jam ibi habitabat, ubi sanctior amor degit. Deposuerat DEI Mater apud LVDGARDEM querelas suas, quibus filium ab Albigenſibus hæreticis iterum in cruce agi dolebat. Hic ut luctum virgo suum testaretur, VII. annorum sibi jejunium indixit, alterumq; æquę longum pro peccantium salute adjecit, & subinde SPONSVM irato PATRI vidit supplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii desiderio tam bulliebat in amante sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cęlumq; idem præmium, quod martyribus sponſerit. Sacrum epulum adire inter Angelos non semel, quandoque etiam mater MARIAE & D. Ioannis comitatum visa est. Ante obitum oculis orbata, nunquam tamen magis cęlestia, quàm tum vidit. *Morięnti enim cunz*

Ma-

MATRE, & aliis Cælitibus obuius Sponsys venit: quibus ducibus in cælos abiens, errare etiam cæca non potuit. *Ex Surio & Lippelo.*

Putasne Filium Dei reputat IESVM, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? S. Bern. in Serm.

S. RAINERIVS C. 17. Iunii.

RAINERIVS Pisanus cupiditatum æstu abreptus, ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentiae fecit: enatauit tamen arrepta poenitentiae tabulâ, & Sacerdoti expiandum se fecit. Sed obstiterit noxius pudor, ne omnia probra detegeret, donec Angeli voce silentium increpantis animatus bonâ fide se reum peregit. Iudex confesso multam nullam imposuit, professus ejus arbitrium caeleste sibi numen reservasse: ex eo tempore cum finem flendi nullum faceret, oculi cum lacrymis extillarunt, tanto parentis dolore, ut vitam abrupturus sibi fuerit, nisi Deus precanti lumen reddidisset. Publicus deinde poenitentiae præco factus, reversusque Hierosolymis inuitatam in paternis ædibus Mephitim est odoratus, Causam indaganti, ita olere opes, Christus respondit, cæterumque luxus apparatus. Ergo ijs quoque abdicatis, Hierosolymitanum iter rudi sago indutus repetiit, ad durissimas leges vitam omnem exigens, maximè postquam sobriè cum viro sacra-
to prædentis linguam vespa aculeo fodit, velut temperantiæ vindex. Posthac enim ad panem & aquam obsonium nullam adhibuit: condimenta tamen cælo petebat, sæpè Christum cum Matre habere convivas solitus, quod prodigijs omnibus,
quæ